

rata, aptius verò Duplicia adpellantur. Beneficia Simplicia vocitantur, quæ in neutro foro regimen habent animarum; neque populum, aut Clerum habent, in quem hujusmodi cura exerceatur: *Cap. ult. de Præb.*

XVI. Jam verò plura hic observanda: I. Ut Beneficium dicatur Curatum omnino requiritur, ut cura animarum ipsi Beneficio sit perpetuo adnexa, eamque Beneficiarius libere exercere possit.

2. Cathedralium, et Collegiarum Canonicatus Beneficiis quidem Simplicibus adscendendi; hæc verò in materia odiosa, ob eorum eminentiam, qua ipsis pæne dignitatibus comparari videntur: *Cap. 4. de Præbend. in VI.* id quod probare videtur Stylus R. Curie.

3. Simplicibus Beneficiis adnumerandæ quoque sunt Capellæ, sive Capellanix: de Capellis earumque origine satis *Tit. XI. hoc Libro*: porro vel Capella constituit Corpus per se, et est veluti sacra ædicula, aut etiam Ecclesia à Parochiali sejuncta, et tunc proprie Capella dicitur, quique ei præest *Rectoris* nomen habet; vel Capella aliud non est, quam sacellum, aut altare in aliqua Ecclesia erectum, et tunc proprie Capellania dicitur, quique ei præest *Capellanus perpetuus*. (**). Inter has aliæ sunt, quæ ex fundatorum voluntate Institutionem Canonicam non exigunt, et vernaculo loquendi modo dicuntur *Patronato de Legos*. Aliæ sunt amobiles, quæ revera potius quam Capellanix, Legata Pia dicenda sunt. Aliæ denique perpetuæ, et hæc si Investituram, seu Institutionem Canonicam requirunt, proprie sunt Capellanix. Hinc quum Ecclesiæ visum fuerit fundatoribus indulgere, ut quascunque vellent conditiones in Capellaniarum institutione adjiherent, plura orta sunt Patronatus, et vocationum genera, consanguinitatis nimirum, successione, patria &c. prout unusquisque in ipsa Capellanix erectione constituendum decreverit. (*)

4. Denique Simplicis Beneficii nomen aliquando eâ notione accipitur, ut beneficium, quod ad residendum non adstringit, significet: unde alia emersit Beneficiorum divisio; nimirum in Residentiaria, et Simplicia.

XVII. Dividuntur quoque Beneficia, inspectis personis, quibus conferuntur, in Regularia, quæ non nisi Regularibus, (**). *spectata virtutis, et sanctitatis* ut decrevit Syn. Trident. *Sess. XXV. de Regul. cap. 21.* (*) et Sæcularia, quæ sæcularibus tantummodo Clericis conferri possunt. Hæc divisio sero in Ecclesia audita est; antiquitus enim Claustrales Regularium Præfecturæ simplicia erant officia, quæ postea alicubi in Beneficia, et Dignitates degeneraverunt. Quæ de re (exceptis Capellis intra Monasterii claustra constructis, quæ nisi per sæculares administrari consueverint, Regulares censendæ) Beneficia omnia Sæcularia præsumuntur, nisi contrarium demonstretur: (**). ex eo præsertim, quod Religiosi servitium Beneficium, vel Capellanix habere non possint: ex præscripto Syn. Hispal. an. 1512. *Cap. XXXI* (*)

XVIII. Triplici potissimum viâ Beneficium aliquod Regularibus addictum demonstratur; scilicet Institutione, Fundatione, Præscriptione. *Institutione*, ubi ipsam Regularium disciplinam, et regimen adnexum habet; *Fundatione*, ubi fundator expresse cavet Beneficium Regulari, vel non nisi Regularibus conferendum instituere se voluisse; *Præscriptione* denique, scilicet ubi quadraginta annorum spatium perpetuo, ac pacifice à Regularibus administratum sit.

XIX. In eadem hæc Beneficiorum divisione tertium occurrit Beneficiorum genus, scilicet, quæ Commendata dicuntur, seu data in commendam: id quod antiquitus fiebat ad tempus, at rhodie plerumque sunt perpetua. Conceduntur enim Commendatariis, quoad vixerint, possidenda. De Commendis mox fusius agemus.

Tantummodo hic juvat observare, ubi contingat beneficium aliquod Regulare à Summo Pontifice Commendæ nomine Clerico Sæculari conferri, ejus naturam non mutari, nec ideo fieri Sæculare.

XX. Postremo ex diversa collationis, sive provisionis ratione beneficia alia sunt *Electiva*, ad quæ scilicet quis per electionem adsumitur, alia *Collativa*, quæ nimirum per collationem Episcopi, aut alterius Prælati obtinentur, et alia *Patronata*, quæ scilicet ad Patroni præsentationem conferuntur. Item alia sunt *Reservata*, et *Adfecta*, quæ scilicet ad Pontificiam pertinent collationem, et alia *non Reservata*, neque *Adfecta*, quorum nempe collatio alterius, quam R. Pontificis, juris est. (**). Adhæc in Hispania Beneficia sunt, quæ dicuntur *Patrimonialia*, eâ videlicet, quæ non nisi in hac vel illa Diocesi, Provincia, Civitate, et Oppido natis, vel oriundis conferri possunt, ejusmodi sunt Beneficia Regni Navarræ, et Cantabriæ, quæ Navarris duntaxat, et Cantabris conferri possunt, et plura in Aragoniæ Regno, quæ in quodam tantum Oppido, aut Civitate ortis conferuntur. Item Beneficia omnia Archiepiscopatus Burgensis, et Episcopatum Palentini, et Calagurritani, quæ ex immemorabili consuetudine, confirmata *Leg. XXI. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* non nisi Diocesanis conferenda sunt. Quin et omnibus inhibuitur est Bullas impetrare, quæ hujusmodi adversentur consuetudini, de quibus, si quando impetrentur, ad Supr. Castellæ Senatuum deductæ, supplicandum est; neque exsequi valent sub pœna, si hæc fuerint, amissionis ipso facto omnium bonorum, et quorumcumque officiorum Regalium; si Clerici sub pœna etiam amissionis omnium temporalium rerum, et jure Civitatis. Deinde hæc Lex confirmata est *Leg. XXII. ibid.* et ad omnia alia Beneficia Patrimonialia Carolus V. extendit *Leg. XXIII. ejusd. Tit. et Lib.* Majoricenses etiam jus habent trium Summorum Pontificum Constit. roboratum, et Philippi V. Decreto die 7. Julii an. 1723. confirmatum, ut non nisi ipsi ad earum Ecclesiarum Præbendas, et Beneficia admittantur: *Sanctione XXX. Tit. II. Lib. III. vulgò Autos Acordados*. (*)

CAPUT DECIMUM NONUS.

DE BENEFICIORUM PLURALITATE.

I. Antequam reditus Ecclesiastici in Beneficia engerentur, jam Canones præivere, quibus Beneficiorum pluralitas damnata est. Synodus Chalcedonensis binos in hanc rem Canones habet, X. et XIX. quorum priore *Clericum in duarum Civitatum conscribi simul Ecclesiis* vetatur, depositionis pœna in transgressores inflata: posteriore Episcopum, qui Clericum ad alium Episcopum pertinentem susceperit, una cum Clerico suscepto, communione privandum decernitur, illis tantummodo *exceptis, qui proprias amittentes Provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt*. Profecto quid hoc aliud est, quam beneficiorum pluralitatem ex Residentiæ divino jure statuta lege illicitam judicare?

II. Consonant Chalcedonensi Concilia seculis temporibus habita, uti Aurelianense III. *Can. XVIII.* Epaonense *Can. XIV.* Aurelianense item V. *Can. XIV.* (**). et Syn. Tolet. I. *Can. XII.* decernens nulli Clerico licere *discedere de Episcopo suo*: Tolet. II. *Can. II.* Valent. an. 546. *Can. V.* et VI. Narbon. an. 589. *Can. X.* Hispal. II. *Can. III.* Tolet. XIII. *Can. XI.* &c. His porro Canonibus Beneficiorum pluralitas interdicta est, quippe qui Clericum ad unam duntaxat, eamque cui primo ordinatus est adfigunt Ecclesiam; ille autem qui priore non con-

tentus, à qua proventus accipit alterius etiam Ecclesie Beneficium amplectitur, quasi in duabus esse simul Ecclesiis mentiri videtur. Quam verò absurdum sit à duabus simul Ecclesiis redditus percipere demonstrat Syn. Aurelianensis V. *Can. XIV.* ita constituens: *Nullus Episcoporum, aut cujusvis Ordinis Clericus, aut alia quaecunque persona, quibuslibet conditionibus, seu in Regno, seu in alio positus, alterius cujusque Ecclesie res, aut petat, aut præsumat accipere. Quod si fuerit, tandiu habeatur a communione Altaris, vel omnium fratrum, ac filiorum charitate suspensus, donec ipsi Ecclesie, cujus directo ordine res est ablata, restituat. (*)* Negandum quidem non est exempla occurrere, atque adeo Conciliorum etiam Canonum, quibus uni Episcopo, vel Presbytero binæ Cathedralis, vel Parochiales Ecclesie regendæ permittuntur; verum hoc tum denique obtinuit, vel quum maxima urgeret necessitas, uti in Ecclesiis vicinis propter idoneorum Sacerdotum inopiam, (***) aut una nec unius adhuc Parochi alimonie præstandæ sufficeret: Synod. Emerit. *Can. XIX.* et Tolet. *XVI. Canone V. (*)* vel quum maxima illud postularet Ecclesie utilitas.

III. At hæc non nisi raræ admodum, et antiquitus inusitatæ sunt Canonum relaxationes. Frequentiora enim occurrunt exempla Ecclesiarum Cathedralium, vel Parochialium, quæ ex pluribus in unam Pontificia, vel Synodali auctoritate coalescerint, quam plurium Ecclesiarum uni Episcopo, vel Presbytero commissarum. Sic S. Gregorius M. Misenatam, et Cumanum Episcopatum in unum conglutinavit: *Libro II. Epist. 31.* Et Synodus Tolet. *XVI. Can. V.* ne pluralitati Ecclesiarum ulla sterneretur via, etiam in Ecclesiis vicinis antiquum servandum Canonem decrevit, nimirum ut potius pauperiores ditioribus augerentur, vel in unum conjungerentur, quam ut unus Presbyter pluribus præesset: (***) *quia solus, ait, per totas Ecclesias nec officium valet persolvere, nec populis Sacerdotali jure occurrere; sed nec rebus earum necessariis curam impendere; ea scilicet ratione, ut Ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat Sacerdotem, quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis jungatur Ecclesiis. (*)* Tum Synod. Parisiensis *VI. Can. XLIX.* et Aquisgranensis *II. Can. ult.* diserte vitium est, ne quis simul Parochiam regat, et Basilicam, vel Martyrium, sed singulis Ecclesiis, sive Parochialibus, sive Auxiliariis, ut ajunt, singuli adsignentur Presbyteri. Demum IX. sæculo quum abusus invalere cœpisset, ut quis simul Parochiam teneret, et Canonicatum, adversus eandem insurrexerunt Episcopi prioris disciplinæ studiosissimi: Hinemarus *Tom. I. pag. 732.*

IV. Igitur prioribus, et secutis Ecclesie sæculis pluralitatis beneficiorum abusione, quæ Clericorum avaritia paulatim invalescebat, Synodorum Canonibus satis obviam itum est, licet nunquam radicitus evelli quiverit. At verò sæculo XII. perversa illa consuetudo tum ubique, tum vel maxime in Gallia adeo altas radices egit, ut teste Innocentio III. in cap. 25. de Præbendis *præ multitudine delinquentium emendari non posse videretur: quinimmo non deerant, qui non modo duas, aut tres, sed etiam sex, aut plures Ecclesias Parochiales possiderent; id quod severissime damnatum est primum in Concil. Lateran. III. Cap. 3. de Clericis non residentibus, pœna etiam adjecta, ut qui receperit, quod contra sacros Canones accepit, amittat; et qui dederit, largiendi potestate privetur.* Mox et in Conc. Lateran. IV. Cap. 28. de Præbendis, quo sancitum est, *ut quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum adnexam, si prius tale beneficium habebat, eo sit ipso jure privatus; et si forte illud retinere contenderit, etiam alio spoliatur.* Præterea, *ut in eadem Ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat: etiamsi curam non habeant animarum. (**)* Id

quod confirmavit Syn. Ilerd. an. 1219. in *Compil. Tarracon. Lib. III. Tit. IV. cap. 1.* et *Lex III. Tit. VI. Partit. I.* quin et Arnaldus de Peralta Episcopus Valent. in *Constit. an. 1262.* pluralitatem Capellaniarum prohibuit, etsi fuerint temporales. (*)

V. Quod verò in Decreto Innocentii III. clausula illa adjecta sit: *Circa sublimes tamen, et litteratas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, quum ratio postulaverit per Sedem Apostolicam poterit dispensari:* hinc quam lata patuit via, cum dispensationibus Pontificiis postulandis, ac impetrandis, tum quoque beneficiorum pluralitati. Adeo ut plura beneficia, etiam Curata, per Pontificiam dispensationem consequi ea ætate veluti jus ordinarium evasisse, patet ex decreto Concilii Lugdunensis in *Cap. 3. de Officio Ordinarii in VI.* ubi tantummodo Dispensatio Apostolica Episcopo exhibenda præscribitur, et ex Constitutione Joannis XXII. *Extravag. 4. de Præbendis in Communibus,* ubi Summus Pontifex de nimis frequentibus dispensationibus conqueritur, quas importuna quadam, et execrabili ambitioni æque Clerici, ac Religiosi ab R. Pontificibus potius extorquere, quam obtinere nitentur. Tum *ibid.* dispensationibus moderamen imponendum sancitum est. At neque indè tantum, tamque perniciosum illud malum aliqua ex parte immiatum, imò et auctum. Inducto enim Unionum, Commendarum, et Pensionum more, Beneficiorum pluralitas, veluti quodam pallio tecta est, uti mox observabimus. Coadjutorie quoque frequentius admittæ in causa erant, cur iisdem abusionibus remedium feliciter adhiberi non posset. De Coadjutoris satis *Lib. super. Tit. XVII.* Hic tantummodo *obiter* animadvertendum, Coadjutorias cum futura successione novissimo jure Neap. esse abolitas: *Regium Diploma die 24. Augusti 1750. (**)* Sed multò ante eas abolere tentarunt nedum Concilia Lateranense sub Alexandro III. et Trident. *Sess. XXV. Ref. cap. 7.* et Alexander VI. motu proprio an. 1499.; sed et Reges ipsi Carolus V. *Leg. XXVI. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* Philippus IV. in libello supplicis ad Urbanum VIII. *Cap. IV.* et Philippus V. *Sanct. IX. Tit. III. Lib. I. vulgò Autos Acordados.* At nihilominus Coadjutoriarum usus usque ad Concordatum an. 1753. obtinuit. (*)

VI. Tandem Patres Tridentini veteris Ecclesiasticæ disciplinæ instaurandæ cupidissimi, (***) diu, solidisque rationum momentis de Beneficiorum pluralitate pertractarunt, contententibus nonnullis, inter quos Jacobus Lainez Hispanus, nulli unquam secundum Beneficium, si primum sit sufficiens conferendum; eamque sufficientiam non à personæ nobilitate, sed à ministerio computandam. Pallavicini Hist. Concil. *Lib. XXIII. Cap. III. n. 30.* Tantummodo verò (*) pro temporis ratione, tanto illi malo reparando medicas manus adhibuere. Namque *Sess. VII. Ref. cap. 2. et 4.* cuiusvis vetant plures Cathedralis Ecclesias, aut plura curata, vel alias incompatibilia beneficia unione, commenda, aut alio quovis nomine contra formam sacrorum Canonum, et præsertim Constitutionis Innocentii III. recipere, ac simul retinere, privationis beneficiorum pœna ipso jure incurrenda in violatores sancita. Et pressius *Sess. XXIV. Ref. cap. 17.* decrevere, *ut unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.* Hæcque non modo ad Cathedralis Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tam secularia, quam regularia quæcunque, etiam commendata pertineant, cujuscunque tituli, aut qualitatis existant.

(**) VII. Verum hoc Tridentini decreto sanata ne tandem sunt inflicta disci-

pluræ Ecclesiasticæ vulnera? Minimè id quidem. Binas rarietate fovendæ vias in his sanctissimorum Patrum verbis invenere subtilissimi Ecclesiæ doctrinæ corruptores. Prima est facilitas sibi blandiendi, primum Beneficium, etsi revera pingue, sufficiens non esse ad congruam vitæ alimoniam. Hinc pluralitas Beneficiorum frequentissima, inde consuetudo, postremò universa pene hominum existimatio Beneficiorum pluralitatem hodierno jure probari; *peccata enim, aiebat Bernardus, quum in consuetudinem abeunt, aut parva, aut nulla esse creduntur.* Secunda est communis itidem hominum opinatio, et toti retro ignota antiquitati, computandi inter simplicia Beneficia, atque adeo compatibilia, et quæ personalem residentiam non exigunt, omnia illa, quæ recentissimo loquendi modo Curata re ipsa non adpellantur, quum hæc omnia compertum sit jvandis olim Parochis in Pastoralis munere instituta esse. Errorem hunc, communem prope, nuper detexit, et gravissima, quæ ex eo damna pullulant, vividis coloribus depinxit integerrimus, et ardentissimo Ecclesiasticæ disciplinæ studio fervens præstantissimus Vir Josephus Tormo hodiernus Episcopus Oriolanus in libello supplicis ad Carolum III. Regem nostrum die 12. Junii an. 1768. Neque aliter sensit vir sapientissimus Primus Regii Fisci Patronus, cui traditus est libellus recognoscendus; quin et jure merito contendit omnia Beneficia personalem residentiam, et personale servitium ex suorum ipsa institutione deposcere. Id ipsum agnovit Religiosissimus Rex, Catholicus, qui æquissimis præf. Episcopi precibus inclinatus, quindecim Diocesis sue Beneficia, quæ eousque Simplicia adpellabantur, ad pristinam eorundem institutionem revocanda, et in vera Curata Beneficia erigenda decrevit die 29. Novemb. ejusd. anni. Nos firmissimam habemus spem, fore ut reliqui Hispaniarum Episcopi, Oriolani exemplo devincti, abolita prorsus inveterata Beneficia restimandi opinione, puriorem illam in sua quisque Diocesi disciplinam curent stabilendam; ad quod quidem Supremus Castellæ Senatus hortatur Episcopos in litteris Encycl. sub die 12. Junii an. 1769. de quibus proximo Tit. XX. et præsertim quum novissimo ejusd. Caroli III. Decreto an. 1777. cautum sit ne cui aliquod ex hujusmodi Beneficiis conferatur, quin rigorosa illa personalis injungatur residentia. Abusio enim illa *conductitios* nominandi Presbyteros juri Canonico, contraria est: *Can. V. Cass. 21. Q. II.* æquitati, fidelium utilitati, ipsi etiam juri naturali penitus opposita. (*)

VIII. Igitur jure Tridentino Beneficia dividuntur in Compatibilia, et Incompatibilia. Prioris generis sunt omnia Beneficia Simplicia, scilicet, quæ residentiam, aut personale servitium non requirunt. (**). At hæc non videntur esse, quæ proprio Beneficii nomine vocantur, sed eæ fortassis sunt Capellanie, quæ libera priorum fidelium voluntate, et liberis adjectis conditionibus instituta sunt, quæ nisi personali servitio erectæ sint, ad eum non adstringuntur Capellani. Verum his etiam ad strictam compulsi residentiam Syn. Hispal. an. 1512. *Cap. XXX.* (*) Alterius generis sunt, quæ simul retineri nequeunt, quippe quod residentia, servitiumque ipsis adnexum sit. Hujusmodi sunt duo Episcopatus, duæ Parochiæ, Parochia, et Canonicatus in diverso tecto &c. Porro Beneficia Incompatibilia bifariam partiuntur: alia enim ejus sunt naturæ, ut unum per adeptionem alterius vacet ipso jure; uti duo Beneficia Curata, duæ dignitates, duo personatus, duo officia administrationem adnexam habentia: *Extravag. Exsecrabilis de Præbendis, Cap. 28. eod. Titulo; nisi forte ex duabus Ecclesiis, vel dignitatibus curatis una ab alia dependeat, vel invicem sint adnexæ:* quum enim pro unam habeantur, poterunt ambo simul retineri: *Cap. 32. eodem Tit. in VI.* Quare Canonicatum dignitati, quæ nullos, vel tennes fructus habeat, adnexum, ubi adsit consuetudo,

poterit quis simul retinere: Gallem. ad *Cap. 17. Syn. Trid. de Ref. Sess. XXIV. in Declarat. n. 1.* et Beneficia Curata aliis beneficiis adnexa transeunt in Simplicium naturam, dummodo accessorie sint unita, et illorum cura per Vicarium ab Ordinario positum exerceatur: Gallem. *ibid.* Ejusdem sunt incompatibilium generis Cathedralis Dignitas cum Parochia, duo Beneficia uniformia sub eodem tecto, sive in eadem Ecclesia, scilicet, quæ ad eundem finem, idemque ministerium instituta sunt, habentque idem onus, ac officium eodem tempore persolvendum; item duo Canonicatus, duæve ejusdem Ecclesiæ Capellanie: *Cap. 9. de Concessione Præbendæ, et Ecclesia non vocantis, et Clement. fin. de Præbendis. (**)* Postremò Episcopatum, et Cardinalatum Beneficia incompatibilia credidere novem viri à Paulo III. delecti in Concilio ipsius Pontificis jussu conscripto, et exhibito an. 1538. *Nam Cardinalis, ajunt, est assistere Sanctitati tuæ in gubernanda universali Ecclesia, officium autem Episcopi est pascere gregem suum, quod præstare bene, et ut debet haud potest, nisi habilet cum ovibus suis, ut pastor cum grege. (*)*

IX. Porro ut primum Beneficium vacet, satis non est alterum collatum esse, at requiritur omninò alterius sive de jure, sive de facto pacifica possessio, scilicet, ut alterum vel de facto pacifice possideatur, vel saltè, ut probari queat, per Beneficiarium stare, quominus pacifice possideatur: indicata *Extravag. Exsecrabilis.* Id quod sancitum est ob nonnullorum fraudes, qui pacificam alterius Beneficii possessionem vix nacti, statim cum ficto adversario colludentes litem sibi suscitari procurabant, ut possessio adpareret non pacifica, atque ita fieret, ut utriusque prioris, et posterioris beneficii proventibus fruereutur. Ad hæc pacificam alterius Beneficii possessionem nactò retentio prioris conceditur ad duos usque menses: *Rota apud Merlimum Decis. VI. n. 10.* et quidem, ut possit quis experiri an molestiæ superveniant; ne, istis inopinato obvientibus, post primum demissum incidat in utriusque jacturam: *Rigant. in Reg. I. Canc. §. 8. n. 115.*

X. Incompatibilia alterius generis beneficia sunt, quorum prius non vacat ipso jure per pacificam alterius adsecutionem, quamvis retineri simul nequeant; quum eligere quis debeat alterutrum, alias per Superiorem altero privandus. Hujusmodi sunt duo Canonicatus in diversis Ecclesiis, et alia Beneficia legem residentie adnexam habentia, sed sine animarum cura, dignitate, personatu, vel officio, neque uniformia sub eodem tecto. Tria igitur, Cura scilicet animarum, lex Residentiæ, et Uniformitas, ut ajunt, sub eodem tecto beneficia reddunt incompatibilia.

XI. Unde legitimi Beneficiorum collatores 1. poterunt uni, eidemque bina conferre Beneficia Simplicia, quum primum ad vitam sustentandam congruum non fuerit.

2. Habenti dignitatem, canonicatum, vel curam animarum, cujus redditus sint tennes, non vetantur alterum quantumvis pingue beneficium conferre; uti contra habenti simplex beneficium, cujus etiam exigui sint proventus, alterum Curatum, vel cum residentia fibula rectè conferetur. At verò tertium consequi beneficium sine Apostolica dispensatione licet nemini. Quamvis ex nonnullorum Canonistarum sententia, et ex usu, moribusque Regni Neap. poterit quis plura retinere beneficia, quæ simul collata congrua duntaxat vitæ præbeant alimentum.

3. Poterit quis duo beneficia, ut ajunt, difformia sub eodem tecto, quæ tamen sint exigua, ordinaria auctoritate simul retinere: *Sacr. Congr. apud Fagnanum ad Caput Litteras de Concessione Præbendæ, et Gallem. ad dictum Cap. 17. Synodi Trident. in Remiss. n. 6.*

4. Tridentinam Sanctionem beneficia jurispatronatus Simplicia non adficere censent Vivianus in Prax. Jurisp. P. II. Lib. VI. cap. 1. n. 20. et 27. et Gagliardus de Beneficiis Cap. XXII. n. 5.

5. Neque demum ad pensiones Ecclesiasticas Trid. Decretum spectare censuit Sacra Congregat. apud Gallemart *ibid.* n. 2.

XII. Meritò hic quæri potest, quænam proventus quantitas beneficium congruæ alimonie, sumtibusque sufficiens constituat? Porro Tridentini Patres id non sanxere. Quum enim pro varia hominum conditione varia, qui cuique satis sint, reddituum ratio restituenda sit, hinc boni cujusque viri arbitrio illam definiendam reliquere. Quare ex universali consuetudine jam recepta nemini bina Beneficia Simplicia habenti in foro movetur quæstio; licet eorundem singula congruo victui satis superque sint. Quinimmo hujusmodi consuetudine Tridentinæ sanctioni, in foro externo certè, derogatum videtur ea parte, qua vetat unum sufficiens Beneficium habenti alterum etiam Simplex conferri.

XIII. Cavendum tamen hac in re, ne quis nimium suæ voluptati indulgeat potius, quam indigentie consulat: tum bonorum Ecclesiasticorum indolem, de qua supra, ac mala, quæ beneficiorum pluralitas parit, serio perpendat. Verùm de hoc Cap. opportunius *Tit. ult. hujus Libri.*

CAPUT VIGESSIMUM.

DE UNIONE BENEFICIORUM.

I. Beneficiorum unio, quam recte defines, *Plurium Ecclesiarum, vel Beneficiorum a legitimo Superiore justa ex causa facta conjunctio*, multifariam dividitur. Ac 1. in Temporaneam, seu Personalem, et Perpetuam, seu Realem. Priorem, qua veluti pallio ad pluralitatem beneficiorum tegendam abutebantur, rejecit prorsus (**) quoad Curata, et Incompatibilia: (*) Synod. Trid. *Sess. VII. Reform. cap. 4.* (**) eaque tanquam mera fraus legis habita est à Viris novem jussu Pauli III. congregatis an. 1538. (*) Altera, ubi publica illam postulet utilitas, vel necessitas, sola legibus Ecclesiasticis probatur.

II. Perpetua autem isthæc unio, vel 1. Socialis est, et æque principalis, vel 2. Servilis, et accessoria, quæque subjectiva etiam dicitur, vel demum 3. hujusmodi, ut Beneficium, quod alteri adnectitur, omnino supprimatur. Priori modo fit unio, quum aut duo beneficia ita conjungantur, ut separata, ac distincta, et quod ad jura, et quod ad cetera omnino remaneant, æque ac antea erant, et tantummodo uni administranda Beneficiario tradantur: cujusmodi unionis ratio in Ecclesiis Cathedralibus plerumque locum habet: aut duæ Ecclesie, vel dignitates non modo in uno coalescant Beneficiario, sed unius etiam Ecclesie Canonici, Clericique inferiores, alterius etiam Ecclesie Canonici, Clericique evadant: et tum sane non modo sua quæque jura, et privilegia retinebit, verum et altera alterius optima quæque privilegia nanciscetur: Fagnan. *ad Cap. Novit Ne Sede vacante &c.*

III. Altero modo fit unio, quum una Ecclesia, Dignitas, vel Beneficium ita alteri conjungatur, ut eidem subiciatur, atque adeo missa propria dignitate, et nomine in alterius naturam transeat, et illius dignitatem, jura, et privilegia, tanquam accessoria, et filialis participet: *Cap. 3. de Statu Monachorum, Can. XLVIII. Caus. 16. Quæst. I.*

IV. Tertia demum Beneficia adnectendi ratio, uti observat Espenius *P. II. Tit. XXIX. cap. 1. n. 9.* potius Beneficii extinctio, et suppressio dicenda est,

quam unio; quum Beneficium, quod adnectitur, omnino supprimatur. Exemplo sit, quum Canonatus in Dignitatem erigatur: ubi quidem titulus Canonialis per suppressionem omnino extinguatur.

V. Beneficiorum unionem nonnisi legitima ex causa fieri fas est: nimirum quum vel evidens necessitas, vel publica utilitas illam exigat. Præcipua necessitatis causa est Ecclesiarum paupertas: scilicet, ubi conjunctæ congruos Pastori tribuant redditus, quos disjunctæ suppeditare nequibant: Conc. Tolet. XVI. *Can. V. Gregorius M. Lib. II. ep. 35. ad Episcop. Veliternum.* Conc. Trident. *Sess. XXI. Reform. cap. 5.* Episcopis dat facultatem Beneficia Curata quæcunque propter eorum paupertatem adnectendi, licet generaliter, vel specialiter reservata, aut quomodocunque adfecta sint.

VI. Utilitatis causæ sunt 1. quum imminuto fidelium numero locorum vicinitas unionem publico bono postulare videatur. S. Gregorius M. *indicata Epistola 35.* Cumanam, et Misenatem Ecclesias in unam conjungens, ubique Benenato regendas tradens, hanc adfert rationem: *quoniam nec longo itineris spatio a se sejunctæ sunt, nec (peccatis facientibus) tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim, habere debeant Sacerdotes.* Porro secutis temporibus adeo in illa regione populus decrevit, ut ipsa etiam Ecclesia Cumana, Misenati prorsus extincta, superstes jam sola, sæculo XIII. ineunte Ecclesie Neapolitanæ, cujus erat suffraganea, adnexa sit, Parochia ibi erecta, et sacris Sanctorum Maximi Lev. Cumani, Julianæ, et Pueruli trimestris, quæ in Cathedrali Cumana Ecclesia adservabantur, Neapolim translatis: Chiocc. *Cat. de Episcopis Neap. in Anselmo an. 1292. et ibid. de Episc. Eccles. Cumana Neapolitanæ unita.*

VII. Altera utilitatis causa est, quum commodius, et utilius per unum, quam per plures pastores pluribus Ecclesiis servitium, et obsequium præstetur: *Clement. I. §. 6. de Statu Monachorum.* His, aliisque gravioribus deficientibus causis Ecclesiarum unio à Sacris Canonibus omnino vetita est, quam scilicet, uti loquitur Gelasius P. *Epist. ad Episcopos Lucaniæ Can. XXIII. Caus. 1. Q. VII. nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsus extorquet utilitas.* Unde Beneficiorum unio ex communi Canonistarum sententia, tanquam odiosa, ut ajunt, strictam requirit interpretationem: ut colligitur ex Syn. Trident. *Sess. VII. Ref. cap. 6.*

VIII. Quamobrem in Beneficiis adnectendis hi potissimum servandi Canones. 1. Gravior requiritur pro Beneficiis curatis conjungendis causa, quam pro Simplicibus. Hinc Synodus Trident. quum Episcopis dat facultatem Seminariis pro congrua eorundem dotatione, tum et Cathedralibus, Collegiatisque insignibus, ad decentem Canoniorum statum aliquot Beneficia adnectendi, nonnisi Simplicium meminit: *Sess. XXIII. Ref. cap. 18. et Sess. XXIV. Ref. capit. 13.* Hic quoque obiter observandum ad Seminarii alicujus erectionem aliquando taxationem imponi in omnibus Ecclesiasticis Diocesanos redditibus, et Beneficiis quæ liberæ sint Episcopi, Sedisve Apostolicæ collationis; idque Regni mores patiuntur. At eandem taxationem laicalibus Locis piis, Extauritis, et Confraternitatibus, nonnisi Regis mandato, constituere jus est. Id præstitit Carolus Borbonius olim Rex noster Ecclesiasticæ disciplinæ studiosissimus in Seminarii Isclani erectione: Gagliardus de Beneficiis *Cap. IV. num. 15.*

2. Cathedrales tenuioris redditus Ecclesias Synodus Provincialis haud vetatur conjungere: at re prius cum R. Pontifice communicata, ejusdemque accedente consensu: Trid. dicto *Cap. 13.* Semper enim Sedis Apostolicæ jus habitum est, tum novas erigere, tum veteres unire, vel sejungere Cathedralis Ecclesias. Hinc Benedictus XIV. Carolo Borbonio Utr. Siciliæ Rege postulante, Collegiatam